



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Avrea Gemma Christianorvm**

**Ruben, Leonhard**

**Paderbornae, 1604**

II. Christus non est vbiq[ue] secundùm humanitatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68313)

inimicos tuos scabellam pedum tuorum? nõne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi si propter eos, qui hereditatem capient salutis?

## CAPVT II.

*Christus secundum humanam naturam  
non est ubiq;.*

**H**ic observa, Christiane lector, grauiter hallucinari & errare eos, qui Christum Dominum secundum humanitatem docent esse ubiq; quæ hæretica omninò est assertio & sacris scripturis ex diametro aduersa. Vt enim ascensionem Christi ad cælos tollit, ita & sessionem ad dexteram Patris; si enim secundum eandem naturam ascendit, quomodo antequam ascendit ibi fuit? Simile iudicium si ab illo triumphali ascensu sedet à dextris Patris. *Lazarus* (inquit Christus ante passionem. Ioan. II. 14. 15.) *mortuus est: & gaudeo propter vos ut credatis, quoniam non eram ibi, (in Bethania scilicet) sed eamus ad eum.* Timorem quoq; angelus pijs tribus mulieribus apud sepulchrum post resurrectionem Christi adimere volens, inquit Matth. 28. 5. *Nolite timere vos: scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, queritis, non est hic, surrexit enim sicut dixit venite & videte locum, ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit, & præcedit vos in Galilaam, ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. Quæ omnia verba hic, surrexit, locus ubi positus erat, præcedit, ibi, &c. Christi*

sti secundum humanam naturam ubiquitatem negant. Similis omnino locus est. Marci. 16. 6. 7. Apud D. Lucam verò duo angeli idem dicunt. Luc 24. 5. 6. 7. 8. Nec differunt duo angeli in ascensione eius in vestibus albis astantes & dicentes. Act. 1. 11. *Viri Galilei quid statis aspicientes in caelum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.* Assumptus verò est corporaliter secundum humanam naturam, ergo tali modo nobis nunc non adest, sed veniet. Est autem iam tali modo ad dexteram Patris, vt clarè D. Marcus asserit. Marc. 16. 19. *Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in caelum & sedet à dextris Dei.* Nobiscum tamen est sua diuina gratia & gubernatione, & in sacro Eucharistiae sacramento sacramentaliter, omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Matth. 28. 20.

## CAPVT III.

*Christus indicaturus est viuos & mortuos, quod primò probatur ex prophetis scripturis veteris testamenti.*

**N**OTA me hinc breuiter de ea potestate actuum, fusiùs enim ea de re egi libro tertio de quatuor nouissimis.

PROPHETIAE. Iob. 13. 8. 9. *Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini? Aut placebit ei quem celare nihil potest? aut decipietur ut homo*